



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Svmma Bvllarii Earvmve Svmmorvm Pontificvm  
Constitvtionvm Qvae Ad Commvnem Ecclesiae Vsvm post  
volumina Iuris Canonici, vsq[ue] ad Sanctissimum D. N.  
D. Pavlvn Papam V. emanarunt**

**Quaranta, Stefano**

**Venetiis, 1619**

Electio.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10793**

## E L E C T I O .

**P**Ræter Summissas sciendum est, qualiter quantum ad electionem Summi Põ-  
tificis attinet, vltia disposita in capicet de vitanda. de electio. & cap. vbi pe-  
riculum. cod. tit. in 6. & clem. ne Romani. d. titul. extat constitutio Pj 4. super re-  
formatione conclaus in electione Summi Pontificis fol. 767. in Bullario incip. in  
elegendis. & est tenõis, sequentis.

Pius Episcopus seruus seruorum Dei, ad perpetuam  
rei memoriam.

**I**N Eligendis Ecclesiarum Prælati, quibus & humana & diuina ministeria cõ-  
mittuntur, quantam adhiberi curam oporteat, testantur patrum nostrorum  
sacratissimæ constitutiones, quas illi magna seueritate de Episcoporum, & alio-  
rum Prælatorum qualitate ediderunt, propterea quod a bonis bona omnia v3.  
charitas vigilantia ecclesiastica disciplina denique animarum eis commissarum  
salus proficisceretur, A malis vero contra non nisi mala, nempe auaritia negligẽ-  
tia fastus, & animarum periculum possit expectari. Quod si in quibuslibet eccle-  
siarum Pastoribus tantopere prouidendum est, ne quis assumatur indignus, ma-  
iorem certe, & perspicaciorum diligentiam in Roman. Pontifice eligendo qui ce-  
teris Pastoribus est præfuturus, & totius Domini gregis curam habiturus oportet  
adhiberi. Hac sancta meditatione permoti prædecessores nostri, & præsertim  
fel. record. Alexander iij. Gregorius x. Clemens v. Clemens vj. & Iulius ij. non-  
nullas Constitutiones sanxerunt ad prouidendum, vt summorum põtificum ele-  
ctiones libere & recte & mature fierent. Sed quoniam res humanæ semper in de-  
terius prolabantur nisi sit, qui eas assidue retineat & conseruet verendumque sit  
ne aliquando propter earum constitutionum transgressionem suborti abusus lon-  
gius serpent, & progrediantur. Nos quantumcum Deo possumus futuris casibus  
& periculis occurrere, Volentes eorundem prædecessorum nostrorum constitu-  
tiones tum innouando tum declarando, & pro rerum & temporum necessitate  
supplendo de fratrum nostrorum vnanimi consilio atque assensu definimus, sta-  
tuimus & declaramus, vt cum pontificem de hac vita migrare contigerit, Car-  
dinales præsentis decem tantummodo diebus iuxta dicti Gregorij prædecesso-  
ris constitutionem in concilio Lugdunen editam Cardinales absentes expectare  
teneantur, & interim solitas nouem continuorum dierum exequias omnino pe-  
ragant, nec vllõ prætextu vltius differat. Et ne quid impedimẽto esse possit, quo-  
minus exequiæ ipsæ nono die absoluantur, si quando per obseruantiam alicuius  
magni, & præcipui fetti Cardinalibus videretur officium exequiarum intermitteri  
debere, dies illi sic intermissi in numerum nouẽ dierum nihilominus computari  
debeant, & impenfa quæ in eis pro exequiis faciendæ esset, inter pauperes Chri-  
sti distribuatur. Ac vt superfluis quodque sumptibus, qui iam in immensum ex-  
creuerunt, modus imponatur, funus simplicius quam cõsueuerit fieri: ita vt illius  
ratione (præter regalia populo Romano præstari solita) decem Millium du-  
catorum summam pannis lugubribus, & regalibus tam Camerarii, & Clerico-  
rum, ac aliarum Cameralium, quam aliorum quorumcunque ministrorum & of-  
ficialium ac aliis omnibus omnino computatis impenfa nõ excedat. Summa au-  
tem

tem decem Millium huiusmodi vel si collegio visum fuerit etiam minor, ac nullo modo maior, per tres Cardinales antiquiores vnum videlicet de quolibet ordine & Camerarium proportionabiliter pro rata distributionis alias fieri solita inter predictos omnes, & singulos diuidatur. Lapsus vero decem diebus a die obitus pontificis ingressus Conclauis nullatenus prorogatur aut differatur, sed sequenti die missa de Spiritu Sancto celebrata siue Cardinales absentes venerint, siue non, qui fuerint presentes statim Conclauem ingredi teneantur, & ingredienti ipsi absque mora aliqua omnia omnino Capitulorum confectione primis diebus fieri solitorum, in electionis negotio procedant, & singulis diebus scrutinium fiat, & in primo scrutinio etiam accedere liceat. Si qui vero forte intrare noluerint vel ingressi absque manifesta infirmitatis causa iuramento Medicorum, & a maiori parte Cardinalium per secreta suffragia approbata exiuerint, dicta constitutionis Gregorij x. pœnam incurrant. Declarantes nihilominus quod postquam Card. presentes alijs Cardinalibus etiam de latere Legatis, aut ex alia quacunque etiam publica causa etiam cum licentia Summi Pontificis absentibus ulterius non expectatis, post tamen lapsum dictorum decem dierum a morte Pontificis electionem siue intra, siue extra Conclauem fecerit, electio sic facta ex itinere aut alterius etiam probabilis, & Notarij ipsorum Cardinalium absentium impedimenti preteritum impugnari minime valeat, quum publica utilitas ex natura electionis proueniens cuius alteri rationi preferri debeat. Sedis autem vacatione durante collegium Cardinalium in iis quæ ad Pontificem Maximum dum viueret, pertinebat nullam omnino potestatem aut iurisdictionem habeat, neque gratiam neque iustitiam faciendi aut factam per pontificem mortuum executioni demandandi, sed ea omnia futuro pontifici reseruare teneatur, Neque de statu temporali Roman. Ecclesie neque de pecunijs Camere Apostolicæ aut datarij, vel pro solutione debitorum ante obitum pontificis quomodolibet contractorum aut alias ex quauis causa (casibus infra scriptis duntaxat exceptis) quicquam disponere, nec contra dictam Gregorij constitutionem pro seipsis aliquid percipere, nec res alienum ultra necessarios sumptus presentibus, comprehensos contrahere debeat, neque Camerarius Thesaurarius, Datarius Depositarium Castellanus arcis, Sancti Angeli aut alij officiales contra harum constitutionum tenorem Collegio obedire teneantur siue debeant, quinimo si eis in talibus obtemperauerint aut ipsi Cardinales vel officiales ex eorum officijs contra premissa aliquid attentare presumpserint de suo proprio Camere Apostolicæ plenarie satisfacere, & pecunias erogatas restituere, ac quæuis damna ad eligendi pontificis arbitrium resarcire cogantur. Quod autem expendi possit erit prefata decem Millium ducatorum summa. Illud item quod pro victu familiarum pontificæ ante Conclauis ingressum, ac post ingressum pro pauperum officialium palatij tantum per Camerarium, & priores ordinum describendorum victu, ac etiam pro elemosynis sede vacante fieri consuetis. Itemque pro defensione terrarum Ecclesie, vel partis earum, Nec non pro regalibus, populo Romano, & illius Magistralibus ac custodia vrbis, & Conclauis, illiusque provisionibus opportunis necessarium erit. Quæ veto impensa pro defensione terrarum, & locorum Ecclesie & securitate ac prouisionibus Conclauis facienda sit, Cardinales presentes per secreta suffragia ordinare debeant, ita ut maioris partis sententia obtineat id, quod obseruandum erit etiam in gubernatoribus vrbis tam ultra pontem, quam citra & alijs officialibus etiam pro statu Ecclesiastici regimine si opus fuerit eligendis. Si vero ultra predicta aliquid quod grande periculum immineret cui omnibus, & singulis Cardinalibus presentibus

sentibus

sentibus iuxta ordinationem Gregorii x. aut saltem duabus illorum tertis partibus per secreta suffragia viderentur celeriter occurrendus, tunc collegium iuxta maioris partis sententiam similiter per secreta suffragia de remedio opportuno ac provide de necessaria impensa providere possit & debeat. Statuimus etiam quod tres Cardinales antiquiores unus videlicet ex quolibet ordine vna cum Camerario post Pontificis obitum reliquos Cardinales congregandi, & occurrentes necessitates in congregationibus generalibus proponendi, & ut cōclauis bene vndique claudatur curandi ius habeant. Ipsorum autem officium tertia die post cōclauis ingressum omnino expiret, eorumque loco tres alii sequentes in ordine quolibet tertio quoque die eum eodem Camerario in eadem potestate succedant. Camerarii quoque, & maioris Penitentiarii officia quæ etiam Sede uacante durate ita durare decernimus, & declaramus, & non solum ea, quæ præsentis constitutione prohibentur, & quæ pontifice uiuente exercere non consueuerunt, seu a quibus pro eiusdem Pontificis reuerentia aut alias quomodolibet abstinerebant, minime usurpent, sed Camerarius ac præfidentes, & clerici aliique Ministri, & officiales Camere Apostolicæ exactio pecuniarum eidem Camere debitæ ac provisionibus ratione Sedis uacantis iuxta præmissa necessario faciendis duntaxat incumbere, & propterea a solutione debitorum ante Pontificis obitum contractorum, aut illorum declaratione, rationum solidatione, extractionibus frumentorum, remissionibus delictorum, a securacionibus delinquentium, & quibuscunque aliis expeditionibus tam gratiam quam iustitiam, aut illarum executionem quomodolibet concernentibus omnino abstinere debeant. Penitentiarius uero, & eius officiales ea tantum facere, & expedire ualeant, quæ ad forum conscientie pertinent, in reliquis officium eorum conquiescat. Itaque a quibuscunque matrimonialibus, & aliis dispensationibus ac absolutionibus, & declarationibus nec non quibusuis aliis expeditionibus forum (quod aiunt) fori mixtum, uel separatim quomodolibet respicientibus omnino abstineant. Alioquin in quibus tam Camerarius quam Penitentiarius, & alii prædicti etiam de licentia aut mandato totius collegii cōtrafecerint, ea nulla, & irrita sint, ac nemini suffragentur. Et nihilominus eorum excessus & inobedientie rationem Pontificis arbitrio quandocunque reddere teneantur. Literis etiam nostris super reformatione Camere, & Penitentiaria huiusmodi editis in suo robore permanseris. Datarum vero ministerium per eiusdem Pontificis obitum omnino expiret, ita ut non solum datas per eum antea notatas extendi potestatem minime habeat, sed quascunque supplicationes gratiarum, & iustitiæ penes eum, aut eius ministros adhuc existentes etiam si data fuerint Collegio Cardinalium statim sub sigillo clausas præsentare teneantur futuro Pontifici referendas. Quod si contra præmissa quicquam ad cuiusuis etiam Cardinalis instantiam attentare præsumpserit, irritum, & inane existat, & nihilominus falsi crimen incurrat illius rationem futuro Pontifici redditurus. Prohibentes in super ne Cardinales, & prælati, signatura gratiarum, & iustitiæ præfæcti Sede vacante supplicationes, & commissiones aliquas etiam si supplicantes paruas datas, ut moris est, antea obtinuerit, signare ualeant, sed officia eorum omnino cessare intelligantur. Quod si aliter fecerint pro excessibus huiusmodi futuri Pontificis arbitrio puniantur. Mandamus quoque quod Cellæ cōclauis Cardinalibus sorte distribuatur, nec liceat eas etiam infirmitatis prætextu mutare aut desuper ædificare, uel illas dilatare, sed quilibet, etiam Decanus, sit sua forte contentus. Post Cōclauis uero ingressum interdiximus, & expresse prohibemus sub officiorum, & beneficiorum priuationis pœna atque etiam sub alia arbitrio

bitrio gubernatoris ad custodiam conclavis deputari soliti infligenda, ne quis in eitate supra aut infra conclave seu a lateribus habitare, vel morari possit. Quæ loca muris claudi, & a præsentibus custodiæ conclavis ac a dicto Gubernatore sæpius visitari debeant. Et si qua fraus commissa fuerit, teneatur ipse Gubernator sub perituri pœna eo ipso incurrenda & alia arbitrio futuri Pontificis infligenda, delinquentes huiusmodi Cardinalibus pro tempore deputatis reuelare curareque, vt delinquentes ipsi carcerentur, & æriter puniantur. Teneantur quoque Cardinales pro tempore deputati Cellas Cardinalium, & alia conclavis loca sæpius visitare & diligenter perquirere ne in ipsius conclavis muris aut laquearibus, seu pavimentis vetita foramina fiant. Et si quid tale deprehensum fuerit, auctores priuationis officiorum, & beneficiorum ac aliis etiam corporalibus, & sæuerissimis eisdem pœnis teneantur, nisi statim, si intra conclave fuerint eisdem Cardinalibus deputatis, si vero extra conclave Gubernatori, & prælati præpositis reuelauerint. Quiquidem Gubernator, & Prælati sub perituri pœna in hoc in vigilare, & opportune providere debeant. Quilibet autem Cardinalis in conclavi duobus seruentibus Clericis, vel Laicis contemptus sit. Infamis autem, & graviter affectus a maiori parte Collegii per secreta suffragia tertius ad summum iudicari possit. Qui seruentes familiares domestici, & continui commensales ipsius Cardinalis, & ab anno ante fuisse & tunc esse debeant, & non mercatores, ministri principum, domini temporales, & iurisdictionem habentes, neque fratres aut nepotes Cardinalium, etiam si expensis eorum viuerent. Et de qualitatibus conclavistarum Cardinales deputati ante conclavis ingressum diligenter inquisitione habere, & eos approbare, ac post ingressum de novo diligenter providere debeant. Sacrista quoque cum vno clerico coadiutore in officio Sacristiæ, duo quoque magistri ceremoniarum conclave ingrediantur Missis celebrandis, & alijs quæ ad ipsos pertinent vacaturi. Ad sit præterea vnus religiosus pro confessionibus audientis a maiori parte Cardinalium per secreta suffragia eligendis vnus collegii Secretarius tantum, duo Medici, vnus Chirurgus, vnus Aromatarius cum vno, aut duobus seruentibus, vnus suberignarius, vnus Cementarius, duo Barbitonfores, cum vno aut duobus seruentibus. Item octo aut decem seruentes publicæ utilitati, & commoditati omnium, veluti pro lignis portandis, pro verendo conclave, & similibus necessariis ministrantibus, qui omnes a collegio Cardinalium, non tam ex familia alicuius Cardinalis, per fabas secretas eligantur ita tamen vt is obtineat, qui plura vota tulerit, & eis salaria de publico persoluantur. Quod si ultra præfatas personas, in conclavi aliquis inuentus fuerit, expelli statim debeat, Et si quis vsquam se occultasse deprehendatur, ignominiosa expellatur, & infamia noceatur, & officijs atque beneficijs priuetur, consilij vero sub eadem pœna illos collegio reuelare teneantur, præmium reportaturi si indicauerint. Clauso conclavi nulli ad colloquium etiam extra portam conclavis etiam principum oratores, nisi ex magna, & urgente causa a maiori parte collegii approbanda admittantur. Et si quis forte (quod absit) clam ipsum conclave, & aliunde quam per ostium ingredatur, omni honore, gradu, ac officio, & beneficio ipso facto priuatus generis scripta ad eos; qui in conclauiterunt, seu nuncium vel notam, aut signum mittere, seu recipere, aut contra, e conclavi ad eos, qui foris erunt, villo modo liceat, qui contra fecerint quacunq; dignitate etiam si Cardinalatus honore præfulgeant pœna excommunicationis lata sententiæ subiacent, absoluenti facultate, præterquam in mortis articulo, soli pontifici maximo reseruata, a quo nihilominus pro qualitate delicti vltra dictam excommunicationis pœnam

nam

nam puniendi erunt. Prohibentes etiam super futura electione Pontificis spon-  
 siones, quas excommittas vocasti, fieri, & si forte contra presentium tenorem fa-  
 cta fuerint, illas nullas, & irritas in iudicio, & extra fore, & omnino censeri, & co-  
 ntrafacientes ac proxenetas arbitrio Gubernatoris, & futuri Pontificis puniri debe-  
 re decernimus. Cardinales autem primo ipso die quo conclauis ingressi fuerint  
 tam in prandio, quam in caena vno solo ferculo vnius speciei tantum eoque mo-  
 derato, & alias iuxta constitutionem praefati Clementis vii. qualificato contenti sint,  
 & esse debeant, nec quisquam in alterius cella vel de alterius ferculo vescatur.  
 Praelati quoque ad custodiam conclauis deputati sub poena periurij, & suspensio-  
 nis a diuinis maxima, & exquisita diligentia vtantur in inspiciendis ac perscruta-  
 dis epulis, & alijs rebus ac personis conclauis intrantibus, & de eo exeuntibus,  
 ne sub earum rerum velamine litera aut nota vel signa aliqua transmittantur.  
 Quod si tale quid inuentum fuerit, familiares Cardinalium aut  
 alij delinquentes pena priuationis officiorum, & beneficiorum, ac inhabilitatis ad ob-  
 tinentiam, & obtinentiam incurant. Et ulterius per Gubernatorem carceribus mancipentur, ex  
 inde nisi de mandato noui Pontificis minime relaxandi, sed eius arbitrio acriter puniendi  
 di omni facultate collegio Cardinalium in fauore quoruncumque in praemissis vel eor-  
 um aliquo deliquerint omnino interdicta. Coelauis vero, & quicumque alij seruien-  
 tes conclauis ex causa infirmitatis manifesta, & notabilis a Medicis medio iura-  
 mento probata, & de consensu deputatorum, quorum etiam conscientiam desu-  
 per oneramus, & non aliter exiituri, nullo modo reuerti possint, sed eorum loco  
 alij eodem prorsus tempore, quo infirmi exhibent, ingrediantur. Statuimus etiam, ut  
 & declaramus, quod si forte aliquis Cardinalis saltem in Diaconatus ordine con-  
 stitutus non fuerit, is nullatenus ad eligendum admitti debeat. Cardinales autem  
 per viscera misericordiae Domini Nostri Iesu Christi enixe rogamus, &horta-  
 mur, ac eis nihilominus sub diuina interminatione iudicij praecipimus, & manda-  
 mus, ut attendentes magnitudinem ministerij, quod per eos tractatur in da n-  
 suffragiis, ac alijs omnibus, & singulis electionem quomodolibet concernentibus  
 omni dolo ac fraude, factionibus, & animorum passionibus remotis, ac princi-  
 paliter secularium intercessionibus, ceterisque mundanis respectibus minime at-  
 tentis, sed solum Deum praeculis habentes, sese pure, libere, sincere quiete, & pa-  
 cifice gerere, & habere debeant. Nec pro ipsius pontificis electione conspiratio-  
 nes, coactas pactiones, & alios illicitos tractatus inire, signa, aut contra signa vo-  
 torum suorum alteri dare, mina suae aliquibus inferre, tumultus excitare, aut alia  
 facere per quae electio retardetur, vel minus libere suffragia praesententur per se, vel  
 alium directe, vel indirecte, quouis colore, vel ingenio audeant vel praesumant.  
 Quod si fecerint aut contra prohibita in praesenti constitutione, aliquid admi-  
 serint, ultra diuinam ultionem futuri Pontificis pro modo culpa in eos quoad eum  
 que anima duerti possit. Quia vero parum esset iura coactere, nisi foret qui executio-  
 ni ea demandaret, statuimus, & ordinamus, ut Praelati Rectores officiales vrbis ac  
 Principum Oratores, illustres viri, quos oes a collegio pro custodia conclauis eligi con-  
 tinget, eligere aut collegium debeat eos qui ad id magis idonei videbuntur praemissa oia  
 plene, & inuiolabiliter ac sine fraude, & dolo aliquo obseruari faciant, de quo cor-  
 porale iuramentum coram ipso collegio ante ingressum conclauis, & quoties o-  
 pus fuerit, praestare teneantur: quae quidem nisi fecerint, vel si in eis dolum, &  
 fraudem commiserint, praedictas penas, & ceteras in dicta constitutionem Grego-  
 rii x. contentas incurrant. Volumus autem neque per Praelatos neque per Recto-  
 res aut officiales praefatos ultra, quam praemittitur, Cardinales arctari, neque praes-  
 sentes.

sententes has nostras constitutiones per collegium Cardinalium vlllo modo alterari corrigi, aut immutari posse, sed illas coram omnibus de verbo ad verbum in prima congregatione post obitum Pontificis fieri solita, & deinde post conclaui ingressum legi, & iurari eo modo quo leguntur, & iurantur constitutiones Iulij II. & aliorum prædecessorum nostrorum, quorum constitutionibus, & pœnis in eis contentis vltra præmissa per hanc nostram constitutionem derogare non intendimus, sed magis eas confirmare, in nouare, & comprobare. Et ne dissensionis occasio aut schismatis oriatur, volumus cœsurarum, & excommunicationum præfatarum, & aliarum quarumcunque prætextu Cardinales a Pontificis electione actiue, vel passiuè excludi nullo modo posse: quas quidem excommunicationes, & censuras ad electionis effectum tantum, illis alias in suo robore permanentibus, suspendimus, & suspensas esse volumus, & declaramus. Decernentes quoque excommunicationes, & censuras ipsas eum solum afficere, qui deliquerit, non autem alios conclaui durante cum eo conuersantes, ac præsentibus nostras vbiunque electionem Summi Pontificis etiam extra urbem fieri contigerit locum habere, & obseruari debere. Ac insuper illas in valis Basilicæ Principis Apostolorum, & Cancellariæ apostolicæ, ac in acie campi Floræ aliquos cursores nostros legi, & publicari, ac illorum copiam ibidem affixam dimitti, & deinceps omnes, & singulos Cardinales etiam absentes, præsentibus, & futuras, & alios quoscuque quorum interest, vel interesse poterit quomodolibet in futurum afficere, & ligare, nullumque earum ignorantiam prætere posse ac si eis personaliter intimata forent, præmissis ac alijs constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis ceterisque contrariis non obstantibus quibuscunque. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrorum definitionis statutorum declarationum decretorum prohibitionum mandatorum interdicti, præcepti rogationis, hortationis, & voluntatum infringere, vel ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius se noverit incursum. Dat. Romæ apud Sanctum Petrum. Anno Incarnationis Dominicæ Milleesimo quingentesimo sexagesimo secundo. Septimo Id. Octobris Pontificatus Nostri Anno Tertio.

Ego Pius Catholica Ecclesiæ Episcopus.

- † Ego R. Card. de Carpo episcopus Hostien.
- † Ego F. Card. Pisanus episcopus Port. manu propria
- † Ego Fed. Card. Casius episcopus Tusculanus
- † Ego Io. Card. Moronus episcopus Prænestinus. ff.
- † O. bo Truchses de Vualdurg. Episcopus Card. Albanen.
- † Ego Tr. Card. Crispus.
- † Ego Io. Card. Saracenus.
- † Ego Io. Card. Sancti Vitalis.
- † Ego Iac. Card. Puteus.
- † Ego Io. B. Cicada. S. Clemen.
- † Ego B. Card. Tranen.
- † Ego Scipio Card. Pisarum.

† Ego

- † Ego Io. Card. Reumanus.
- † Ego Io. Ant. Card. Capisuccus.
- † Ego F. M. Card. Alexandrinus.
- † Ego Clemens Card. Araceli.
- † Ego Io. Ant. Card. Sanct. Georgii.
- † Ego Aloysius Card. Cornelius.
- † Ego Bernardus Card. Saluiatus.
- † Ego Ph. Card. Aburd.

- † Ego M. Ant. Card. Amulius.
- † Ego R. Cardin. Nauagerius.
- † Ego A. Card. Farnesius Vicecance.
- † Ego G. Asc. Card. Cam.
- † Ego Iul. Card. Vrbin.
- † Ego Hier. Card. Simoncellus.
- † Ego Vitellotius Card. Vitellius.
- † Ego Carolus Card. Borromeus.
- † Ego Franciscus Card. Gonzaga.
- † Ego Ind. Aualos Card. Araga.

Ca. Glorierius  
Francis. Delyon.

Anno a Natiuitate Domini millesimo quingentesimo secundo Indictione quinta die vero 21 mensis Octobris, Pontificatus Sanctissimi in Christo Patris, & Domini nostri, Domini Pij diuina prouidentia Papæ Quarti Anno tertio, suprascripta litera Apostolicæ affixa, & publicata fuerunt Romæ in locis suprascriptis, ut est moris, inibi earundem copis dimissis affixis per nos Andream de Curia, & Franciscum Fayæ eiusdem S. D. N. Papæ Cursores.

Pro Magistro Cursorum Franciscus Rogerius Curf.

Contra inuentas sponfiones super vita, & morte, & futura electione Summi Pontificis, ac promotione S. R. E. Cardinalium extat Gregorii xiiij. Constitutio Romæ publicata die 28. Martij 1591. incip. Cogit nos deprauata.

Grego.  
xiiij  
contra  
inuen-  
tes spō  
siones.

Cogit nos deprauata miseri huius sæculi corruptela, ut vel in ipso nostri Pontificatus ingressu seuerioribus pœnis illorum coerceamus audaciam, qui cœca ducti cupiditate, grauioribus peccatis diuinam Maiestatem lædere, ac sacrosanctæ Ecclesiæ Dei mala, & scandala perniciofa infere non perhorrescunt. Qualia multa cum ingenti animi nostri dolore sensimus manere ex frequenti sponfionum illarū usu, quæ ex commissa vulgo dicta super futura electione, aut vita, & morte Romani Pontificis, aut promotionibus S. R. E. Cardinalium fieri consueverunt. Nam siue rem ipsam, quæ nedum ecclesiastica, & sed & facta, & mercede spiritualis est, spectemus, profanatio quadam rei factæ, & sacrilegium quoddam inde propterea committi videtur, idū electionibus, & promotionibus sacris, ac

V  
plene

plene spiritualibus fors pecuniarum immiscetur, & turpissima nundinationis genus coheret, siue grauissima peccata earum occasione perpetrari solita, & detrimenta inde prouenientia, sponcione huiusmodi, quae super predictis sunt omnino damnandas, & prohibendas, atque a Christi fidelium commercio profus exterminandas arbitramur. Multi siquidem lucri cupiditate, aut metu iacturæ pecuniarum, illicitis modis directe, vel indirecte, per se, vel alium, electiones, seu promotiones impedire, aut retardare conantur. Alii eligendorum, aut promouendorum honorem famam, & existimationem impiis fallis, ac profus iniquis detractionibus aut diffamationibus laedere, ac dilacerare non erubescunt; Orationes vero, & vota, ac pias preces Christiani populi, quas eo potissimum tempore summo deuotionis feruore ex intimo cordis affectu ab vniuerso fidelium corpore Deo omnipotenti offerri par esset, ut huiusmodi electionibus ac promotionibus Spiritus Sanctus assisteret, non mediocriter hac de causa impediri, perturbari, ac refrigerare necesse est, dum multi temporibus lucris intenti, aut obliuiscuntur, quae Dei sunt, aut certe desiderant saepenumero, & procurant, ut eligantur non ii, qui optimi sunt, sed ex quorum electione plurimum lucri se consecuturos animaduertunt; Nec desunt, qui innumerabiles fraudes, ac perniciose mendacia, dolos & fallacias comminiscuntur, dum sponcionum pretia augere, aut imminuere callide, & versute satagunt. Nonnulli quoque manifesta iniustitia peccant, dum fere certi eorum, qui eligendi, aut promouendi sunt, conuentiones, seu suspensiones inuendo ab aliis id ignorantibus pecunias per fraudem extorquent. Multi praeterea dum vana spe vniuersum patrimonium suum in discrimen temere deducunt, repente, & ex improviso ad inopiam rediguntur; ex quo & abominabiles contra Deum blasphemiae, & plurima scandala, & peccata atrocissima consequuntur; quod autem deterius est, miseri quidam ad nefandas Daemonum inuocationes, ad prohibita sortilegia, damnataque diuinandi genera confugiunt, ut futura (si id fieri posset) praenoscendo, minori cum periculo, aut quemadmodum ipsi vana spe decepti sibi persuadent, certiore euentu sponciones ineani; Illud denique omnibus notissimum est, magnum hoc esse auaritia fomentum, & ex eo vehementem quasi cupiditatem, quandoque etiam in Ecclesiasticis, & Religiosis personis excitari. Nos igitur qui hoc praecipuum munus ad Pastoralem nostram sollicitudinem maxime pertinere existimamus, ut gregem Dominicum fidei nostrae creditum ab omni offensione, atque aeterna vitae periculo securum in viam salutis, diuina fauente gratia, dirigamus; pestiferi huius morbi contaginem, priusquam in communem fidelium perniciem latius serpat (quantum in nobis est) tollere, nec non delicti, & scandali inde, ut plurimum prouenientis occasionem penitus, & vbiq; submouere cupientes, ac simul aequum censentes, in quo frequenter, & grauiter peccatur, id ad tollendum scandali periculum generatum, & per aequum omnibus interdicatur; fel. rec. Pii Papae Quarti praedecessoris nostri, qui pariter hoc ipsum super futura Pontificis electione fieri prohibuit, vestigiis inhaerentes, de tributa nobis a Domino potestatis Apostolica plenitudine, hac nostra in perpetuum valitura constitutione damnamus, & reprobamus omnes, & quae unquam sponciones, promissiones, stipulationes, conuentiones, aut pacta, Excommittas vulgo dictas, quouis nomine, aut vocabulo appellatas. Quas, siue per cedulas (ut aiunt) melapochas, aut alio quocumque publicae, aut privatae scripturae, aut chirographi genere, vel per Mensurarium, aut Mercatorum libros, aut partitas crediti (ut dicunt) seu verbo tantum datae fide, aut facto deposito certa pecuniarum summa, vel cuiusuis alterius rei pre-

rei pretio aestimabilis, aut alias quomodo so, vel sub quam nominati, aut inno-  
 minati contractus forma, aut conditione, in euentum vitæ, aut mortis, vel futu-  
 ra creationis Romani Pontificis, tam eo viuente, quam Apostolica Sede vacan-  
 te, aut in euentum promotionum S. R. E. Cardinalium, post hac in quibusuis Chri-  
 stiani Orbis Regnis, Dominijs, Prouincijs, Ciuitatibus, Terris, & locis vbilibet  
 gentium, aut locorum iniri quandounque contigerit, ipsosque contractus, spon-  
 siones, aut pacta, si quæ post hanc nostram prohibitionem inita fuerint, vel e-  
 tiam antea, quarum tamen, vel quorum exitus adhuc expectantur, damnata pro-  
 fus, illicita, & inualida decernimus, & declaramus, illaque ex nunc, prout ex  
 tunc, & e contra harum serie rescindimus, & annullamus, ac ne de cetero fiat  
 distincte interdiciamus, & prohibemus. Decernentes ex eis tanquam damnatis, &  
 reprobatis, etiam si iuramento, quod pariter illicitum, & tanquam contra bo-  
 nos mores præstitum nihil operari, in hoc, declaramus, aut instrumento in for-  
 ma Camere Apostolicæ, vel alias quomodolibet roborata fuerint, nullam pro-  
 fus obligationem oriri, nullamque actionem realem, aut personalem, aut iudicis  
 officium in foro exteriori, neque extra illud; nec etiam quo ad forum conscien-  
 tiæ, prouenire, neque exceptionem, aut aliud quocunque ius cuiquam compete-  
 re. Quinimo statuimus, & declaramus ex prædictis damnatis sponsionibus nul-  
 lum talium pecuniarium dominium, etiam si soluta, aut data, seu remissa, vel con-  
 donata hac de causa fuerint, cuiquam acquiri: sed quicquid pecuniarum, aut cuius-  
 uis alterius rei in contractus, seu sponsiones huiusmodi deductum fuerit, siue da-  
 tum, & acceptum, siue tantummodo promissum, vel ut præfertur condonatum,  
 aut etiam, ut ab alijs soluat, mandatum existat, eo ipso p̄ his locis eius Cruxatis,  
 aut oppidi, ubi sponsiones ipse inita, vel ubi primum defecta fuerint, etiam si  
 prius alibi inita sint, acquisitum censeri, & ipsos contrahentes ad restitutionem  
 siue elargitionem eisdem pijs locis in utroque foro teneri, & in foro exteriori ad  
 id per Episcopum (cuius conscientiam super hoc oneramus) opportunis iuris, &  
 facti remedijs, etiam sub censuris, & pœnis Ecclesiasticis cogi, & compelli debe-  
 re, & non solum Procuratoribus, seu administratoribus, seu cuiuslibet personæ, a-  
 ctionem popularem nomine eorundem priorum hęcum pro ipis pecunijs co-  
 sequendis competere: Ita tamen, ut si plura loca pia in Oppido, seu Cuitate  
 huiusmodi existant, inter ipsa loca pia is præferatur, & pecunias integre lucrè-  
 tur, qui prior agere ceperit: nec componere, transigere aut concordare cum ipis  
 delinquentibus, aut illis partem aliquam pœnæ remittere, aut concordare quo-  
 quomodo liceat, sed integre ab ipis locis pijs exigatur: quod si de facto concorda-  
 tum fuerit, tunc eo ipso concordia, compositio, aut transactio irrita sit, & nulla, &  
 actio pro reliqua summa, non exacta ad alia loca pia deuoluta censetur, donec  
 pœna prædicta integre ab ipis transgressorib. fuerit persoluta. Personas vero ec-  
 clesiasticas, si quæ forsitan (quod non credimus) tale aliquod pactum, aut spon-  
 sionem contra hanc nostram prohibitionem inire præsumpserit, tam seculares,  
 quam cuiusuis ordinis, aut militiae regulares, cuiuscunque status, gradus, vel con-  
 ditionis fuerint, etiam si Episcopali, Archiepiscopali, Primitiali, Patriarchali, aut  
 alia quacunque, etiam S. R. E. Cardinalatus præfulgeant dignitate ( præter su-  
 prædictam, & alias in præsentis constitutione contentas pœnas) omnibus, &  
 quibuscunque per eas obtentis beneficijs cum cura, & sine cura, sæcularibus, &  
 quorumuis ordinum, aut militiarum regularibus ex nunc, eo ipso per præ-  
 sentes in utroque foro priuamus, & priuatas, ac ad illa, & alia quacunque  
 in posterum obtinenda, perpetuo inhabiles, & incapaces declaramus, eaque

omnia iuxta præsentem Constitutionem ipso facto vacare, deque illis libere per Sedem Apostolicam, vel per ordinarios Collatores illis prouideri posse; ac etiam si alioquin nostræ, & Sedis Apostolicæ, seu Ro. Pontificis tantum, dispositioni ex quavis reservatione generali, etiam in corpore iuris clausa, seu alias quomodolibet reservata, seu affecta fuerint, nihilominus per Ordinarios Collatores, ad quos eisdem reservationibus, seu affectionibus Apostolicis cessantibus, pertineret, libere, & licite conferri, & de eis perinde, ac si reservata, aut affecta non essent, disponi posse volumus, & declaramus. Vterius etiam in eos, qui talia patrare, & huic nostræ Constitutioni controuenire præsumperint, tam si prædictis, quæ hic pro expressis habeantur, quam si quibusuis mundanis etiam Ducalibus, Regijs, Imperialibus dignitatibus fungantur, ac etiam in eosdem, vel alios, qui id in Terris, locis, Ciuitatibus, ac Dominijs, sibi subiectis tacite, expresse fieri permiserint, eorumque Consiliarios, Magistratus, Potestates, Gubernatores, Præfectos, aut Loca tenentes, eorumque singulos, qui pariter consensum, auxilium, consilium, vel fauorem in præmissis præstiterint, ac in quoscunque Proxenos, vel mediatores; excommunicationis sententiam per easdem præsentis ferimus, & promulgamus, eosque ipso facto absque alia monitione, aut declaratione, Iudicis decreto, aut ministerio excommunicationis sententiam incurrere volumus, a quæ eorum nullus ab alio, quam a Romano Pontifice, pro tempore existente (nisi in mortis articulo) quo ad eos, qui pecunias, vel aliud quidpiâ præmissorum occasione perceperint, eam præuia restitutione integre pecunia eiusmodi occasione perceptarum, absolui possit aut debeat.

Sicque in omnibus, & singulis superius expressis per quoscunque indices ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, ac eiusdem S. R. E. Cardinales sublata eis, & eorum cuiuslibet quauis aliter iudicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, in quauis causa, & instantia, iudicari, & diffiniri debere. Irritum quoque, & inane decernimus, si secus super his a quoquam quauis auctoritate, scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Quocirca vniuersis locorum ordinarijs vbilibet constitutis, per Apostolica scripta mandamus, vt præsentis literas in suis quisque ecclesijs, Ciuitatibus, diocesis, & locis, ab omnibus inuiolate obseruari curent, & contra quoscunque præsentis Constitutionis transgressores ad declarationem censurarum, & penarum huiusmodi procedent, inuocato etiam ad hoc si opus fuerit, auxilio brachij secularis. Non obstantibus &c.

*AD DITIO. De huiusmodi sponsonibus seu conuentionibus factis sub aliquo futuro euentu, vide Dec. cons. 115. Couar in reg. peccatum par. 2. §. 4. num. 2. Lud. Molin. de contract. disput. 508. & in terminis Vincent. de Franch. decis. 113. & in Regno Neap. etiam adsunt Pragmatica sanctiones, similiter fieri prohibentes ex commissis sede vacante, & super creatione Summi Pontificis, necnon, & ex commissis super pueris mulierum prægnantium sub penis ibi contentis sub tit. de sponsonibus mercatorum.*

Quantum vero attinet ad electionem cathedralium sequitur eiusdem Pontificis constitutio de forma faciendi processus, & inquisitiones ex præscripto Concilij Tridentini super promouendis ad regimina ecclesiarum Cathedralium, & aliarum Superiorum seu Monasteriorum, atque ad ceteras dignitates, de quibus in Consistorio prouidetur.

Onus Apostolicæ seruitutis, ad quod nuper nos dignatio diuina prouexit assidue admonet, in eam potissimum curam nobis esse pastoralis sollicitudine incumbendum, ut quæ a sacris, œcumenicisque Concilijs pro communi totius Christiani populi salute pie, prudenterque statuta sunt, nulla aut temeritate uolentur, aut negligentia deserantur; ea præsertim, quæ ad bonos, idoneosque pastores Cathedralibus, ac Superioribus ecclesijs gubernandis præficiendos pertinent, nam si in quibusuis ecclesiæ gradibus, & ministris curandum est tales eligi, qui Religione, & sanctitate fideles edificent, multo certe magis elaborandum est, ne in eius electione erretur, qui supra omnes gradus constituitur, cui tanquã seruo fideli, & prudenti totius familiæ cura traditur, qui ad omnem virtutem, & mandatorum Dei obseruantiam aliorum forma esse debet; cum certum sit gregis salutem magnopere pendere ex boni pastoris præstanti vita, & doctrina. Sane venerabiles patres, qui ex toto terrarum Orbe ad Sacrum generale Tridentinum Concilium a Summis Pontificibus prædecessoribus nostris euocati magna frequentia conuenerunt, cum in aliis rebus multis præclarum studium ad corrigendos deprauatos mores, & collapsam ecclesiasticam disciplinam restituendam ostenderunt, tum in eo potissimum insigni zelo, magnaq. cum laude laborarunt, ut rationem inuenirent, qua uiri doctrina, pietate, prudentiaque excellentes, & in ecclesiasticis functionibus, diu multumque uersati, ecclesijs Cathedralibus præficerentur. Nos igitur, qui cum in minoribus constituti Cremonensium ecclesiam regeremus, in eodem Concilio cum sanctis, & egregiis illis Patribus interfuimus, & Concilio absoluto ad Ecclesiam nostram reuersi magno semper desiderio flagrauimus, ut tam salubria generalis Concilij decreta executioni debitæ mandarentur, atque ut id fieret pro uirili parte curauimus: Multo nunc magis, cum disponente Domino omnium ecclesiarum cura, & sollicitudo nos premit, summo desiderio tenemur, ut Pastores in præficiantur Ecclesijs qui opus suum, & ministerium impleant, & de ouium salute nos in Domino lætificent. Illud autem in hoc saluberrimo, & pernecessario negotio, quod est de Episcopis eligendis, & præficiendis uidetur esse præcipuum, ut instructio, examen, & inquisitio de fide, vita, moribus, doctrina, & prudentia promouendorum tam accurate fideliter, ac serio instituatur, ut omnis fallacia fuce semoto certo cõfidere ualeamus, tales a nobis Christi gregi pascendo esse propositos, quales tantum onus, Angelicis uidelicet humeris formidandum, exigit, & quales ille experit, qui pro ipsorum ouibus redimendis propriam vitam, ac sanguinem non pepercit, & quidem in hac parte prudentia dicti Concilij Tridentini minime defuit, cum statuerit, ac mandauerit, ut in Prouinciali Synodo per Metropolitanum habenda præscriberetur quibusque locis, & Prouincijs, propria examinis, seu inquisitionis, aut instructionis faciendæ forma Rom. Pontificis arbitrio approbanda, quæ magis eisdem locis utilius atque opportuna esse uideretur. Verum neque id hæcenus nisi a paucissimis factum est, neque spes est nisi longissimo temporis spacio, ut ab omnibus fiat, atque interim, dum certa examinis, siue inquisitionis ratio a Prouincialibus Concilijs expectatur, perit uerber ille fructus, qui ex tam utilibus Concilij generalis decretis sperari posse uidebatur, & experientia ipsa docuit per tot annos a publicatione Concilij prædicti elapsos, quid in vnaquaque Prouincia opus sit, quidue possit fieri. Habita igitur cum venerabilibus fratribus nostris Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus, matura deliberatione, ac eorum unanimi consilio, & assensu præsentis nostræ perpetuo ualitura cõstitutione decernimus, ut cum extra Roman. Curiam examen, instructio siue inquisitio

Greg.  
xiiij.

Ses. 24.  
de ref.  
gen.  
c. 1.

Ses. 6.  
de ref.  
cap. 1.

Supra  
Sess.  
eodem  
c. 1. §.  
quoniam.

tio faciendā erit, nemo omnino cuiuscumque status, gradus, conditionisue fuerit inquisitionē prædictā sibi arrogare præsumat, sed integrum hoc negotium ijs, qui a prædicto Tridentino Concilio, designantur, Apostolica, videlicet, Sedis Legatis, seu Nuncijs Prouinciarum, aut eius, de quo inquisitio fit, Ordinario, eo que deficiente Ordinarijs vicinioribus relinquatur, nisi iustis de causis nobis, aut pro tempore existenti Roman. Pontifici per speciale mandatum alicui alteri hoc munus quandoque committendum esse visum fuerit. Quod si forte aliquis prædictorum: consanguinitate, aut affinitate vsque ad tertium gradum inclusiue promouendum contingeret, vt omnibus suspicio carnalis affectus a tam sancto negotio repellatur, ille quidem eo casu censetur exclusus, atque ad eum qui proxime sequitur hoc est, si Legatus excludendus erit, ad Nunciū, si Nuncius ad ordinarium, si ordinarius ad viciniorē ordinariū inquisitionis officium deferatur. In Curia vero hæc functio spectet, vel ad eos Cardinales, qui a nobis, vel pro tempore existente Rom. Pontifice deligentur, vel ad Cardinales earum Prouinciarum, seu Regnorum apud nos, & Sedem Apostolicam Protectores, in quibus Ecclesiæ ipsæ consistunt, si tamen ad ipsos huiusmodi vacantium Ecclesiarum relatio pertinebit. Quod si de Episcopo, vel Metropolitano extra Ro. Curiam degente ab vna Ecclesia a Ialiam ex aliqua graui, & iusta causa transferendo agetur, hoc munus deficientibus Legato, vel Nuncio Apostolico eius Prouincia, aut Regni vbi Ecclesia ipsa a qua transfertur sita erit, ad Metropolitanum, si Episcopus, ad suffraganeum vero antiquiorem residentem, si Metropolitanus transferendus erit, pertinere declaramus. Deinde quia Sacrum Tridentinum Conciliū, non sine magna ratione eminentes personas, & quæ negotij magnitudinē probe intelligerent, ad hoc officium nominauit, Declaramus, & statuimus tā Legatos, siue Nuncios, quam Ordinarios, vel alios ab hac facta Sede forte delegandos non per Auditores, aut Vicarios, aliosue Ministros, sed per seipsos inquirendi munus exercere debere; quamuis ab huiusmodi personis alijsq. viris peritis adiuari possint, & si Prælatus inquirens per se nō posset ob locorum distantiam testes examinare circa articulum aliquē, vt legitimos natales, vel ætatem, aut aliquid eiusmodi, licebit ei articulum illū alteri personæ in dignitate ecclesiastica constituta subdelegare, non autem vniuersam inquisitionē. Quod si forte cōingat aliquem supradictorum legitime impediri, vt per se hoc munus præstare non possit, ad alios ea cura transferetur, qui sunt ab eodem Concilio Tridentino ad hoc officium designati, vt supra dictum est, de ijs qui ob consanguinitatē, vel affinitatem ab hoc munere excluduntur. Ad hæc, vt mens eiusdem sacri Concilii, recte, ac fideliter debita executioni mandetur, & tale sit examen, quale requiritur in negotio tanti ponderis, declaramus, ac statuimus, non esse in vita, ac doctrina promouendi inuestiganda eam rationem adhibendam, vt ab ipso promouendo articuli offerantur, ac testes producantur, sed oportere, vt Prælatus, qui munus inquirendi suscepit, articulos conscribat, atque ipse ex officio suo illos testes vocet, atque examinet, quos de rebus inquirendis sincerum, ac fidele testimonium datos esse existimet. Verum, vt inquisitio prædicta facilius, ac plenius perfici, atque expediri queat, vt tile erit, si Prælatus qui inquisitionem facturus est, vel a promouendo, vel ab aliquo alio confici curet schedulam, in qua qua sint ordine descripta nomē promouendi, cognomen, patria, parentes ætas, ordo, gradus, professio, functio si quā is forte exercuit, loca in quib. aut Theologiæ, vel iuri Canonico operam dederit, aut longo tēpore versatus fuerit, deniq. amici, ac familiares, qui tā ipsū, quā parentes eius intime norit. Quod si promouendus documētū aliq.

exhibere voluerit, vnde ipsis aetas, gradus, dignitas, sacri ordines, functio, officia, muneraque, aut aliquod eiusmodi comprobetur, admittendum, ac processui inferendum erit, modo documentum publicum seu authenticum fuerit. Illud quoque prohibendum censuimus, ac expresse prohibemus, ne ad testimonium dicendum de fide Catholica, vita, moribus, doctrina, atque aptitudine ad regendam Ecclesiam, quilibet homines admittantur, sed viri tantum graues, pii, prudentes docti, qui qualitatibus promouendorum rectum iudicium ferre valeant, ac vt supra diximus sincerum, ac fidele testimonium dare velint. Proinde iam cognati, ac nimium familiares, quam inimici, atq; amuli excludendi erunt. Porto testes eiusmodi, Praelatus, qui examen, seu inquisitionem habiturus erit, seorsum, ac sigillatim examinabit, & si quando iudicauerit expedire, eis ad memoriam reducet, iuramenti vim, tum periurij grauitatem; eosdem etiam serio, & grauitate admonet ipsos reos futuros apud omnipotentem Deum eorum omnium, quorum, vel committendo vel omittendo rei erunt, qui promouebuntur, si vel falsa narrando, vel retinendo vera, in causa erunt, vt homines indigni, vel minus idonei eiusmodi Ecclesijs praeficiantur. Diligenter etiam testium qualitates cognoscere studebit, ac potissimum quam sint ad promouendos affecti, vt inde conijciat vtrum ex affectu, an ex veritate testimonium dicant. Denique cum testes de qualitatibus promouendi interrogabit, dabit operam, vt quo ad eius fieri poterit omnia, & singula, quae ad praedictam inquisitionem facere videbuntur per ipsas exprimantur. Quamuis autem qualitates omnes promouendorum, quae in generalium Synodorum decretis, alijsque Canonicis sanctionibus continentur, probe cognita esse debeant, iis quibus, inquisitiones officium demandatum est, quales sunt natum esse ex legitimo matrimonio, atque parentibus Catholicis, annum trigelimum iam expleuisse, sacris ordinibus saltem ante sex menses initiatum esse, gradum Doctoratus, aut licentiae in Theologia, vel iure Canonico, aut certe publicum alicuius Academiae testimonium obtinuisse, quo ad alios docendos idoneus esse declaratur, ad haec in Ecclesiasticis functionibus diu esse versatum, item fide puritate, innocentia vitae, prudentia, vsu rerum, integra fama, doctrina praeditum esse; tamen quia circa doctrinam plures fraudes committi solent, & saepe contingit, vt nonnulli scientia vacui de solo Doctoris titulo, aut priuilegio glorientur, vt de eorum etiam doctrina diligenter inquiratur, qui vel Doctoratus, aut licentiae titulis, & priuilegijs gaudent, vel etiam a publicis Academicis testimonium habuerunt, quod idonei essent ad alios docendos, nisi forte aliquorum insignis doctrina, ex publica ipsorum functione notoria esset. Ita vero inquisitio facienda erit, vt quibus in locis, quanto tempore, & quo fructu Theologiae, vel iuri Canonico promouendos operam dederit cognoscatur, & quoniam in quibusdam prouincijs nulla sunt studia generalia, neque vlla publica schola, neque vsus habet, vt quod studijs operam nauant, vllis Doctoratus, aut licentiae insignibus decorentur, declaramus in eiusmodi locis sufficere, si testimonio virorum grauium, & Sacrae Theologiae, vel iuris Canonici peritorum constet, promouendos ea scientia Theologiae, vel Canonum vere pollere, vt idonei sint ad ea docenda, quae populum Christianum scire oportet, ac muneris sibi iniungendi necessitati valeant satisfacere. Testes praeterea deponant se de scientia promouendorum certos redditos esse ex eo, quod praedictos promouendos specimen suae doctrinae publice, vel priuatim dedisse cognouerint. Quod autem ad regulares pertinet cum ad Ecclesias Cathedrales promouendi fuerint: ne fraus vlla subrepere possit in eo, quod idem Tridentinum Concilium statuit, vt regulares a

fuis Superioribus sufficientis doctrinæ testimonium habeant. Declaramus nomine superiorum eos dumtaxat intelligendos esse, qui nullum sui ordinis superiorem agnoscunt; siue ij cuiusuis ordinis Abbates, Magistri, aut Ministri, aut Præpositi generales, aut quarumlibet Congregationum præidentes siue definitores, aut visitatores Capitulum generale repræsentantes, siue alij quocumque vocabulo nominentur, & in eorum absentia ipsorum Vicarij, seu Commissarij generales, vel in Rom. Curia Procuratores Ordinum, aut Congregationum generales in hac parte succedant, & nihilominus præter superiorum testimonium, quia fidem facient eiusmodi regulares ad alios docendo idoneos esse volumus ea seruari, quæ de eis diximus, publicum doctrinæ ab aliqua Academia testimonium habent, vt videlicet serio inquiratur, an regulares ad Cathedrales Ecclesias promouendi eos progressus in studiis fecerint, qui in futuro Antistite requiruntur. Post inquisitionem vero de fide, vita moribus, doctrina, & promouendi, nec non informationem de statu Ecclesiæ, aliique necessariis rebus quæ pariter coram superius expressis Prælati iuxta eiusdem Concilii decreta fieri debet, professio fidei Catholicæ a promouendo facienda erit, quam quidem ab eo dumtaxat recipiendam esse declaramus, sed quem inquisitio pertinebit; nisi forte qui professionem emisit, est a Prælato inquirente longe distet: tunc enim is prælatus ex subdelegatione inquirentis professionem admittere debet, cui promouendus vicinior erit, quod idem intelligatur, de informatione de statu Ecclesiæ, accipienda; si quando contingeret, vt in alia Prouincia, siue Regno esset Ecclesia, in alio promouendus. Recipiet autem Prælatus professionem promouendi præsentem Notario publico, ac testibus, atque eam a se admissam, ac receptam propriæ manus subscriptione testabitur. Is quoque qui professionem eiusmodi fecerit, in eo loco vbi proprium nomen profitentis exprimi solet, nomen suum manu propria adscribet. Denique his peractis Notarius publico instrumento fidem faciet de professione prædicta adhibitis testibus, vt præfertur; Vbi vero totum examen, seu inquisitio de persona promouenda perfecta fuerit, ea in instrumentum publicum redacta cum toto testimonio, ac professione fidei emissa ad hanc sanctam Sedem, vt Concilium statuit, quam primum clausa, & obfirmata in forma authentica transmittenda erit. In qua obseruari volumus, vt professio fidei iisdem omnino verbis descripta sit, quæ in ea forma continentur quam felicitis record. Pius Papa III. prædecessor noster statuit obseruandam, & vt Prælatus qui instructionem, examen, & inquisitionem fecit, vel per literas separatas simul tamen cum processu mittendas, vel per subscriptionem dicti processus significet, quanta fides testibus examinatis eorumque dictis, & scripturis productis suo iudicio habenda sit; simul etiam quid de promouendo ipse sentiat, processus autem sic formati, & ad Curiam transmissi, a Cardinale, cui promouendi munus incumbet, & a tribus Prioribus Ordinum Cardinalibus, vt moris est, iuxta formam Concilii prædicti subscribentur, & expedientur. Volumus autem, vt Cardinalis relator moneat promouendum si præsens in Curia fuerit, vt iuxta Concilium Lateranen. nouissime celebratum omnes Cardinales, siue maiorem partem Collegij adeant, a nequam Ecclesiam proponat; vt quæ a referente Collega sint audituri occulta fide quantum ad personam promouendi attinet, cognoscere possint. Hæc porto omnia, quæ de promouendis ad Ecclesias Cathedrales dicta sunt, ad eos etiam pertinere, atque in eorum promotione seruanda esse declaramus, & decernimus qui nominati, præsentati, aut electi fuerint, ad dignitates Abbatiales; ac Prioratus seu Præpositatus, Monasteriorum regimina, aut alias regula-

regulatum cuiusvis Ordini, aut etiam secularium praefecturas de quibus confistorialiter provideri contigerit, atque eos praesertim, quibus praeter curam, & regimen Monachorum, aut Canonicorum, Clericorumque regularium, vel secularium annexa est in populum iurisdictio spiritualis, vel temporalis, excepta tamen aetate circa quam nihil innovamus. Quo vero ad doctrinam, cum generalia Concilia non statuant, ut personae promovendae ad regulares dignitates Doctoratus siue licentiae gradum suscipere, vel publicum testimonium ab Academia aliqua habere teneantur, & tamen aequum sit, ut ea doctrina polleant, qua onus sibi imponendum sustinere valeant, declaramus, & statuimus, ut Praelati, qui inquirendi munus suscepturi sunt, studiose, ac diligenter inquireant super doctrina eiusmodi personarum iuxta modum, & formam superius praescriptam, ut nos, & pro tempore futuri Romani Pontifices habita de illis vera informatione per processum, qui ab inquirente transmittetur, certo statuere, ac iudicare possimus an persona promovenda vere sit talis, qualem dignitas illa ad quam prouehenda est exigit, & requirit. Hortamur vero in visceribus Domini nostri Iesu Christi, ac paterna charitate monemus eos omnes, qui ab hac Sancta Sede nominandi, praesentandi, vel etiam eligendi futuros Episcopos, vel Abbates ius habent, ut serio apud se cogitent, quanti momenti sit hoc negotium, ex quo salus animarum, tranquillitas Reipublicae, incolumitas Religionis, propagatio fidei, aliaque permulta, & maxima bona dependent. Illud etiam saepe, & saepius ad mentem revocent, quod sancta Tridentina Synodus admonet, nihil se ad Dei gloriam, & populorum salutem utilius posse facere, quam si bonos Pastores, & Ecclesiae gubernandae idoneos promoveri studeant, eosque alienis peccatis communicantes mortaliter peccare, nisi quos digniores, & Ecclesiae magis utiles ipsi iudicauerint, non quidem precibus, vel humano affectu, aut ambientium cupiditatibus, sed eorum exigentibus meritis praefici diligenter curaverint. De nominandis vero praesentandis, vel eligendis ad regulares dignitates praeter ea, quae superius observanda esse declaravimus, illud quoque paternis his nostris hortationibus, & monitionibus adijciendum censuimus, ut nominationibus, praesentationibus, vel electionibus ius habentes eos deligere studeant, atque omnino conentur, qui non modo eodem Ordinem sint ante professi: sed in eodem etiam satis diu laudabiliter versati, neque enim decet, ut Magistri aliorum esse incipiant, qui non fuerint ante discipuli, & subditis imperare praesumant, qui prius non didicerint superioribus obedire. Eos denique, qui vel examinando, & inquirendo, vel testimonium ferendo operam suam in hac re praestabunt serio admonemus, ut ad fidei, ac diligentia in negotio tanti momenti versentur, ut a Deo, & a nobis laudem pro bono opere expectare valeant. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae prohibitionis, voluntatis, declarationis, decreti, statuti, hortationis, & monitionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit indignatione omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius se noverit incursum. Dat. Roma in Monte Quirinali, Anno incarnationis Dominicae millesimo quingentesimo nonagesimo, primo Maij, Pontificatus nostri anno primo.

*Gregorii XI. prohibitio dandi aliquid, vel promittendi nunciis  
provisiones beneficiorum.*

**G**regorius Episcopus servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam. Solicite debet vitari, quod noxium esse dignoscitur, & ex cupiditatis aviditate, etiam in honoris Apostolicae Sedis depressionem, ortum habere videtur. Sane nuper ad nostrum pervenit auditum, quod nonnulli inhonesta lucra querentes, dum per Sedem praedictam de personis aliquorum apud Sedem constitutis eandem, Patriarchalibus, Metropolitanis, & alijs cathedralibus ecclesijs, siue monasterijs vacantibus providetur, vel personae ipsa ad huiusmodi, per dictam sedem de alijs ecclesijs transferuntur, aut alias ipsorum gubernationi committuntur, huiusmodi provisiones, translationes, commendas, siue commissiones, praedictis personis sic apud Sedem praedictam constitutis, ut aliquid munus ab ipsis recipiant, denunciare festinent. Nos igitur in praemissis ( prout ex debito tenemur pastoralis officij ) providere volentes, universis, & singulis personis ecclesiasticis, saecularibus, & Regularibus, cuiuscunque status, gradus, sexus, ordinis, vel conditionis existant, etiam si pontificali vel alta quavis ecclesiastica praesulgeant dignitate, auctoritate Apostolica tenore praesentium districtius inhibemus, ne de cetero illis, qui ipsis huiusmodi provisiones, translationes, commendas, siue commissiones earundem, siue de Romani Pontificis pro tempore existentis, siue de alicuius, vel aliquorum ex venerabilibus fratribus nostris Sanctae Rom. Eccles. Cardinalibus, aut alterius cuiuscunque mandato, seu alias qualitercunque apud dictam sedem nunciabunt, seu nunciari facient, siue dici, vel super hoc nova portari, aliquid directe, vel indirecte per se, vel per alium donec, seu promittant, neque per alium datum, seu promissum persovent. Nos enim quoscunque praesumentes contrarium quoquo modo, excommunicationis sententiae subiacere volumus, & decernimus ipso facto, a qua nullus ab alio quam a Rom. Pontifice possit, nisi duntaxat in mortis articulo, absolutionis beneficium obtinere. Non obstantibus &c. Dat. Avinioni VI. Kal. Novembris, Pontificatus nostri anno quinto.

*Paul. 4.*

Quantum vero attinet ad electionem superiorum regularium ultra disposita per Concil. Trid. sess. 25. de regula, cap. 6. Sciendum est, quod Archiepiscopi, & episcopi cuiuscunque ordinis professores a claustra suorum ordinum redeuntes ad officia, & dignitates, assumi non possunt per Constitutionem Pauli 4. Romae publicatam die 22. Julij, 1559. fol. 634. in Bulla. incip. in Sacra Beati Petri Sede, & infra. Motu proprio, & ex certa nostra scientia volumus, & Apostolica auctoritate mandamus, & ordinamus, quod nullus cuiuscunque ordinis, seu religionis professor, episcopus, seu Archiepiscopus, post quam manus consecrationis huiusmodi susceperit ( etiam si a vinculo ecclesiae cui praefuerat, per sedem eandem absolutus, etque quod in suo ordine permanere, & ad dignitates, ac officia, & superioritates huiusmodi assumi, eaque obtinere posset per sedem eandem, seu illius auctoritate concessum foret ) ad dignitates, aut officia, seu superioritates huiusmodi cuiuscunque qualitatis existant, & quovis nomine nuncupentur eligi, seu assequi, aut obtinere nullatenus possit, & ineligibilis, ac ad ea obtinenda perpetuo inhabilis existat: Ac quavis indulta, concessionibus, dispensationibus, & facultatibus, ac  
alia

alia gratie ei, am a Nobis, & Sede prædicta, etiam per literas Apostolicas, etiam in forma Breuis, vel alias ab eius legatis, seu Nuncijs, aut maiori pœnitentiario nostro, quam a superioribus dictorum ordinum, ac quibusvis alijs etiam ad id potestatem, & auctoritatem habentibus, sub quibuscumque tenoribus, & formis, ac cum quibuscumque, etiam derogatorijs, derogatorijs, alijsque efficacioribus, & insolitis clausulis irritantibus, & alijs decretis, etiam motu, & scientia similibus, & desuper hæcenus concessa, & in posterum concedenda, nulla, & invalida, nulliusque roboris, vel menti sint, & esse censeantur. Et si quis eum de cetero ad dignitates, seu officia, aut superioritates huiusmodi scienter elegerit, iure eligendi perpetuo careat, ac voce actiua, & passiva eo ipso priuatus existat, Reuocantes, Casantes, & Annullantes omnia, & singula indulta, concessionis, dispensationis, facultates, & gratias huiusmodi, quorum tenores, ac si diuerso ad verbum infererentur, præsentibus haberi volumus pro expressis, ac decernentes irritum, & inane quicquid super his a quoquam, quauis auctoritate, scienter, vel ignoranter contigerit attentari, non obstantibus, &c.

Quantum vero attinet ad electionem parochialium ecclesiarum, ultra disposita per Sacros Canones, & Conc. Trid. sess. 24. c. 18. de reformat. generali, extat Constitutio Pii V. incip. in conferendis, quam habes supra in verbo Beneficij Parochialis collatio.

Quando eligens indignum ad officium ecclesiasticum ad effectum ut eligendi facultate priuetur, præsumatur in dubio scienter, vel ignoranter elegerit, vide Menoch. de arbitr. iud. lib. 2. in addit. ad casum 511. num. 9. vsque in finem.

#### EXCOMMUNICATIO AD FINEM REVELATIONIS.

Præter Summissas sciendum est, Decreto Conc. Trid. sess. 25. de reformat. generali c. 3. Salutiferam in his monitorijs formam seruandam præscribi in hæc verba. Quamuis excommunicationis gladius, neruus sit ecclesiastica disciplina, & ad continentendos in officio populos valde salutaris sobrie tamen, magnaque circumspexione exercenda est, cum experientia doceat, si temere, aut leuibus in rebus incutiatur, magis contemni, quam formidari, & perniciem potius parere, quam salutem. Quapropter excommunicationes illæ, quæ monitionibus præmissis ad finem reuelationis, ut aiunt, aut pro deperditis, seu subtractis rebus ferri solent, a nemine prorsus, præterquam ab episcopo decernantur, & tunc non alius, quam ex re non vulgari, causaque diligenter, ac magna maturitate per episcopum examinata, quæ eius animum moueat, nec ad eas concedendas cuiusvis secularis, etiam Magistratus auctoritate adducatur, sed totum hoc in eius arbitrio, & conscientia sit positum, quando ipse pro re, loco, persona, aut tempore eas decernendas esse iudicauerit.

Pro cuius Concilij Trid. executione extat Pii V. ordinatio incip. Sanctissimus in Christo Pater, & Dominus noster Pius Diuina prouidentia Papa V. volens *Pij V.* super expeditione mandatorum quæ sunt in forma significauit pro rerum subtractarum, aut deperditarum restitutione, seu illarum, & illas subtrahentium reuelatione, modum, & formam statuere (manente in alijs reformatione officii rectoris literarum contradictarum a Sanctitate sua edita) præsentibus quod perpetuo obseruari vult scripto ordinat, ut mandata pro restitutione, seu reuelatione huiusmodi dentur. Modo super illis supplicationes in præsentia sua Sanctitatis signatæ fuerint ad earum duntaxat instantiam, quorum ciuilitate interest, quæ supplicationes.